

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

IX. Deus pie dimittit peccata.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

VIII. DE UTILITATE TENTATIONIS.

ROGATA oravi Dominum pro quodam homine, ut liberaret eum, auferens attactus et motus corporis, qui etiam sine peccato quandoque incidunt, ad quæ se liberum arbitrium non inclinat; et dixit mihi Dominus: «Tace; placeretne tibi quod miles omni genere armorum munitus, et in militia doctissimus, ad bellaque fortissimus, brachiisque expeditus, torperet ignavia, negligeret domini sui gloriam et donativum perderet, laudisque jactantiam, quam dominus suus et ipse habiturus esset in terra, pigritando contemneret? Quod si expers et imparatus ad pugnam, ad principum præsumeret torneamenta procedere, subito in tali ludo dejectus interiret. Ideoque infirmis oportet parcere, qui levi a tentatione arctati solent occumbere; quos permitto cum pueris contendere, ut saltem coronam de floribus valeant obtinere.»

III. 18.

IX. DEUS PIE DIMITTIT PECCATA.

ROGAVIT me quidam homo turbatus, ut pro ipso Dominum deprecarer. Oravi ergo Dominum cum timore [intra me.] Et audivit me, in veritate vocis suæ dicens verba hæc: «Non invenitur tam speciosus et innocens agnus, qui non luporum feritate et timore constringatur; prædestinationis meæ electio a nullo penitus poterit irritari. Hæc ego ei pro quo supplicas in tribus declaravi: primo, quia culpis ejus misericors fui; secundo, quia gratiam meam ipsi tribui; tertio, quia ab infidelibus hominibus eum nunquam infestari permisi.» Tunc querulosa pro eo ad Dominum dixi: «Eia, benigne Domine, adhuc timet homo iste, quod sibi peccata sua non plene indulseris.» Et respondit mihi Dominus: «Hoc est impossibile: qui pro peccatis suis dolet, relaxo ea sibi; qui vero cum dolore afflicti cordis gemit, gratiam indulgentiæ percipit; qui autem tanto fervore compungitur, ut plus vitam mortalem perdere quam peccatum

IV. 6.

admittere eligeret, et in hoc perseveranter permanserit, hic post hanc vitam nullis suppliciis deputabitur, nisi aliquibus ponderosis involutus postmodum fuerit venialibus peccatis, et in his repertus, sine condigna pœnitentia negligens. »

X. DE BEGUINA DISTORTA MORIBUS ET CONVERSATIONE,
TANDEM CORREPTA.

VI. 7.

IN mea societate quædam est femina religiosa, de qua multa patior incommoda. Distorta enim et pertinax, ad benefaciendum nequaquam meis exhortationibus acquiescit. Pronuntians ergo tribulationem meam cum desiderio coram Domino, mirabar unde in homine talis malitia permaneret. Et dixit mihi Dominus : « Aspice vitium quo laborat. » Et vidi, et ecce appendebat ei dæmon abstrahens eam ab omni bono. Et dixi dæmoni : « Quis tibi hanc tribuit potestatem, ut Deum in hoc homine sic inhonores ? » Respondit dæmon : « Nemo mihi hanc dare potuit potestatem, nisi ejus voluntas propria accessisset. » Et [in his verbis] vidi dæmonem religiosos quamplurimos irrisorie comitantem, qui ei mendaci pietatis specie consentiunt, hanc ei in semetipsos audaciam tribuentes, unde excusavit se dæmon, et Creatorem cum omni creatura. Et dixi dæmoni : « Cujus auxiliomiser hic a te liberabitur ? » Et dæmon [a Deo] coactus respondit : « Nullus eam eripiet, nisi propria voluntas sua. Deus enim eam liberam constituit, valetque si voluerit convertere sensus suos; quod cum fecerit, ab ea me discedere oportet. » Tunc aio dæmoni : « Nunc in veritate Domini quæro, quod tibi nomen est. » Respondit dæmon : « Ego Uncus recurvatus dicor (quod interpretatum Widerhake dicitur). Omnis turba, quam a tergo meo conspicias, ejusdem officii sunt et sodales mei; qui tot sumus numero, quot reperiuntur homines qui majorum suorum fideli magisterio contradicunt. » Hinc spiritus meus alacer, et anima mea in Deum erecta involvit se in ipso, sicut infans involvitur pallio matris suæ, in ipsius uberibus requiescens; tunc voce et virtute sua